



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Dispv. XXXVII. An visio Dei, sicut est, intellectui creato possit à Deo  
communicari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

omnibus nam vt recte dixit August. lib. 4. contra Iulianum c. 3. longe à principio, Neque omnes homines naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus, nisi esse possemus. Recte igitur S. Thomas, ex desiderio naturali videndi Deum, infert illud esse possibile, nam si impossibile esset, non posset naturaliter apprehendi, & desiderari.

Solet in hoc articulo disputari, vtrum viatori possit communicari evidens noticia quidam Dei, quæ non sit intuitiva visio illius: id tamen falsius disputabimus inferius disp. 135.

DISPUT. XXXVII.

An visio Dei, sicuti est, intellectui creato possit à Deo communicari.

Error Armenorum, & Abailardi, c. 1. Chrysostrum non satis sincere videri locutum de clara Dei visione, cap. 2. Quomodo quidam Chrysostrum excusare contendunt, cap. 3. Cum Chrysostrum, & predictis alij etiam Latini, & Græci sensisse videntur, cap. 4. Secundum fidem nostram Deum sicuti est, videri posse, cap. 5. Soluuntur argumenta pro sententia Armenorum, cap. 6.

CAPVT I.

Error Armenorum, & Abailardi.

Dupliciter contingit videre, aut cognoscere rem aliquam, primum quasi ipsam intuendo sicuti est; quod est, videre per suam essentiam: deinde per effigiem aliquam, & similitudinem sui sicut amicum absentem in imagine ipsius, & Deum in effectis eius quodammodo cognoscimus, in vno quidem perfectius, quam in alio. Fuit ergo error Armenorum apud Armacanum lib. 14. quaestio- num contra illos, c. 1. & recentiorum Græcorum, vt narrat idem auctor, asserentium, Deum nec à Beatis secundum essentiam suam clare videri, nec posse: sed tantum per quandam illius similitudinem, aut lucem ab eo deriuatam. Eundem errorem illis adscribunt Alphon. de castro contra hæreses verbo Beatitude. hæres. 1. & Gabriel, vrateolus in suo Elencho, verbo Armeni. Tameñ Nicæphorus lib. 18. c. 53. eorum recensens errores, inter illos hunc non connumerat. Putat vero Sanderus lib. 7. de visibili monarchia hæres. 118. solum fuisse errorem Armenorum, quod dicerent, ante diem iudicij Deum à Beatis non videri: sed nescio, vnde hoc ipse colligat. Nam quamuis dicat Alphon. hæres. 6. id Armenos docuisse, tamen hunc errorem non ita illis tribuit, vt dicat, ex eorum sententia post diem iudicij Deum videri. Standum ergo puto Armacano, qui optime nouerat eorum errores.

Eundem errorem adscribit Alphon. hæres. 11. Abailardo, & colligit ex Bern. epist. 190. Abailardum vero secutus est Arnaldus Brixiensis, vt idem Alphon. testatur. Verum nec in ea epistola, nec alibi in Bern. tale quid inuenire potui: quin imo cum in ep. 19. refert capita erroru Abailardi, inter ea hunc non recenset. De Arnaldo autem dubium non est, in ea fuisse sententia, si eam docuit Abailardus: nam teste Bern. in ep. 90 hic secutus fuit tanquam magistrum Abailardum. Demum, vt scribit idem Alphon. eandem sententiam docuit Almericus tempore Innocentij 3. quo etiam Albigenses in Galliis dogmatizare cæperunt.

Ysq. in l. partem Tomus 2.

CAPVT II.

Chrysostrum non satis sincere videri locutum de clara Dei visione.

Ceterum, quod caput est, non longe ab hac sententia fuisse videntur nonnulli ex grauioribus Ecclesiæ Patribus. Inprimis Chrysostrum, vt declinaret extremum errorem Anomæorum, qui dicebant, propria virtute Deum ab ipsis comprehendi; homil. 14. in Ioannem ante medium, tractans illud Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam, inquit in hæc verba: Nam id quod Deus est non modo propheta non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli; sed sicuti percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantum referentis, Gloria in excelsis Deo. Et infra non solum dicit, esse impossibile Deum videri; sed ostendens, quid Filius enarrauit nobis, ait: Quod Deum videre est impossibile, quia cum nemo nouit, nisi Filius. Imo addit, Deum ante incarnationem fuisse Angelis inuisibilem, per carnem autem assumptam factum esse visibilem: & cum obiecit illud Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem patris, respondet, eandem esse sententiam cum illa Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vident: Cogitationem enim atque imaginationem (inquit) quam pro viribus nostris, capimus eam visionem appellat. Id vero multo clarius allucuerat in tom. 5. homil. 3. & 4. de incomprehensibili natura Dei, cuius verba paulo post referemus ne ea replicare necesse sit. Chrysostr. secuti sunt Euthymius, & Theophyl. in illud Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam, Theod. in dialogo, cui titulus est. Immutabilis. post fol. 3. & alij Patres, quos inferius commemorabimus.

CAPVT III.

Quomodo quidam Chrysostrum excusare contendunt.

Verum S. Thomas in hoc art. ad 1. & alij eius expolitores, & in 4. d. 49. q. 2. a. 2. ad 1. Durandus. Sixt. senen. ran. q. 2. ad 4. & Sixtus Senen. lib. 6. Biblioth. Sanctæ annotatione 182. defendere conantur Chrysostr. atque eadem ratione & ipse Sixtus reliquos omnes Patres, qui ipsum secuti, aut idem cum eo docuisse videntur, in bonum sensum nititur interpretari. Dicunt ergo trifariam explicari posse: primo vt loquantur de visione non intellectu, sed corporea, sicut de Hieronymo refert Augustinus in epist. 111. circa medium dixisse, Deum esse inuisibilem a peccatis corporalibus, etiam Angelorum: sic autem, vt Augustinus ibidem demonstrat, Deus est omnino inuisibilis.

Huic tamen interpretationi primum obstat, quod ex sententia Chrysostr. & Theodoret, quos reliqui tanquam magistros secuti sunt, Angeli non sunt corporati, sed incorporei, vt disput. 178. referemus: ergo non loquantur de visione corporea, cum dicunt, nec ab Angelis Deum posse videri; nam cum in eorum sententia Angeli sunt incorporei, visione corporea præditi non sunt. Tum etiam licet Chrysostr. & alij assererent, Angelos esse corporatos, oculis etiam corporeis præditos, de visione corporea explicari non possent: cum enim de Angelis dicat Chrysostr. eos percontaberis, nihil ab eis de Dei substantia audies; sic, vt etiam de intellectus visione loquatur: nam, vt Angeli nobis aliquid de Dei substantia referrent, sed, imo multo melius esset, si Deum oculis mentis, & intellectus intuitu essent, etiã si corporeis oculis

R. 2. nota

Armacanus. Deum secundum suam essentiam clare videri non posse dicitur Armacanus. Cap. 3. Gabriel. Præterea. Sanderus.

Abailard. Bernardus Arnaldus. Abailardus non videtur fuisse in hoc errore. Almericus. Albigenses.

Anomæi.

Ioan. 1.

Matth. 18. Matth. 5.

Euthym. Theophyl. Theodoret. Multi secuti sunt cum Chrysostr.

S. Thomas. Durandus. Sixt. senen.

August. Hier. Excitantur primo quod de corporeis locuti sunt.

Rejicitur huiusmodi interpretatio.

non vidissent. Inepte igitur dixisset Chryso-  
stomus Angelos nihil nobis de Dei substantia dicere  
posse, quia corporeis oculis ipsum non viderunt.  
Ad hæc Chrysoctomus in illis homilijs de incom-  
prehensibili natura Dei contra Anomæos disputa-  
tat, qui dicebant non quidem oculo corporis, sed  
oculo mentis, Deum ab ipsis comprehendere, ut ex  
ipso Chrysoctomo ibidem constat. De eodem ergo  
asserit Chrysoct. nec à nobis, nec ab Angelis videri,

*Secundo in-  
terpretatur  
locus de  
homine pro  
hæc statu  
mortalitatis.  
Es. i. c. 5*

*Tertio inter-  
pretatur de  
visione com-  
prehensivâ.*

Secundo interpretantur hos Patres, ut loquan-  
tur solum de homine in hac vita mortali, in qua  
nec acie mentis Deum, sicuti est, videre potest.  
Hæc tamen interpretatio in Chrysoct. Theodor. &  
alios convenire non potest: non enim solum de  
homine in hac vita mortali, sed etiam de Angelis  
ipsis loquuntur, ut ex verbis inferius citandis, &  
iam citatis aperte liquet.

Tertio probabilis eos excusare videntur, in-  
telligendo ipsos non de quavis visione clara Dei,  
sed de ea, quam Scholastici comprehensivam vocant,  
qua omnes asserunt, Deum à nemine etiam  
beato, & lumine gloriæ prædico posse videri. Nam  
Chrysoctomus in illis homilijs de incomprehen-  
sibili natura Dei, frequenter utitur nomine com-  
prehensionis, cum probat, Deum à nullo intelle-  
ctu etiam Angelico comprehendere: id quod præ-  
fertim locum habere potest, si dicamus, hos Pa-  
tres fuisse locutos de intellectu creato non prædi-  
cto lumine gloriæ, sed in sua naturali virtute solum  
considerato, ut aliqui etiam recentiores eos inter-  
pretari contendunt: sic enim non solum perfecta  
illa visione, quæ ab Scholasticis comprehensivâ  
dicatur, sed neque aliqua clara cognitione Deus,  
sicut est, videri potest.

*Locus fuis-  
se, de intell-  
ctu Beatorum.*

Cæterum hæc etiam expositio testimonijs Pa-  
trum quadrare non potest, quia aperte loquan-  
tur de intellectu etiam Beatorum. Chrysoctomus  
enim homil. 14. in Ioan. contendit, non satis colli-  
gi ex illo loco Matth. 18. *Angeli eorum semper vident  
faciem Patris mei.* & Deum ab Angelis clare videri:  
sicut & Theodoretus loco inferius allegando.  
Cum ergo nemo dubitet Angelos eorum, scilicet  
puerorum, iam esse Beatos, nullus etiam ambige-  
re potest Chrysoctomum, Theodoretum & alios  
Patres non de intellectu solum viatoris, sed etiam  
Beati fuisse locutos.

*Revertitur tor-  
tia interpret-  
atio.*

Verum non minus perspicue probare possu-  
mus, Patres non esse intelligendos de illa visione,  
quam Scholastici comprehensivam vocant, sed de  
quavis clara, & intuitiva notitia Dei, sicuti est.  
Primum nam Chrysoct. in illis homilijs de incom-  
prehensibili natura Dei contra Anomæos disputa-  
tat, quos non constat docuisse, Deum à Beatis ita  
perfecte videri, ut ab eis comprehendatur in eo  
sensu, in quo Scholastici nonnulli de comprehen-  
sione loquuntur. Nec enim ante tempora Schola-  
sticorum de eo modo comprehensionis Patres ali-  
quos fuisse locutos dispar. s. probabimus. Solum  
vero Anomæi contendebant, ab intellectu creato  
propria virtute totum Deum, sicuti est, clare videri  
posse, quam ipsi comprehensionem appellabant.

*Anomæorum  
expos.*

*Eunomius.*

Neque vero refert, quod Theodor. 4. lib. hæretica-  
rum fabularum, de Eunomio, qui in errore Ano-  
mæorum erat, dicit, ausum fuisse asserere, se nihil  
de Deo ignorare, imo ipsam Dei substantiam ita  
exacte cognoscere, ut eandem de Deo, ac ipse  
Deus de seipso, cognitionem haberet: nec enim  
ita auctens fuit Eunomius, ut scientiam, quam ipse

7

de Deo haberet, scientiæ, & cognitioni, quam  
Deus de se habet, omnino æquaret.

Solum enim ex parte obiecti dixit, æqualem esse,  
quia nihil eorum, quæ formaliter in Deo sunt,  
esset notum Deo, quod ipse quoque Eunomius  
non videret. Id vero de Beatis videntibus ipsum,  
sicuti est, necessario concedi debet: nam eorum,  
quæ sunt in Deo formaliter, & sunt ipse Deus,  
cum omnia sint idem cum essentia, nihil latere po-  
tuit ipsum Beatum, ut disp. 53. dicemus.

Deinde Patres illos non loqui de comprehen-  
siva illa cognitione, sic ostendo. Si Chrysoct. contra  
Anomæos in illis homilijs solum probare vellet,  
Deum à Beatis in eum sensum non comprehendere,  
non assereret, à nullo intellectu Angeli substantiam  
Dei videri, sed aliquid solum ab ipsa ætuitate:  
ex hoc enim non solum comprehensivam,  
sed etiam intuitivam, seu claram visionem essentia-  
tiam Dei aperte negat. Hoc autem dicitur verbis  
affirmat, homilia 7. de incomprehensibili natura  
Dei. De illis enim Seraphin, qui aspicientes maiestatem  
Dei velabant faciem, Isaiæ 6. quia lucem illam  
Dei ferre non poterant, sic ait: *Quamquam non  
ipsam meram videbant lucem, nec ipsam sinceram substan-  
tiam, sed quæ videbant, condescensus erat & indulgentia.*  
Quibus cum negat Chrysoctomus visionem sub-  
stantiæ Dei sinceræ, & puræ, negat etiam visionem  
quam dicimus intuitivam, & Dei sicuti est.

*Isaiæ 6.  
Deum non  
in se, sed in  
similitudine  
videri per-  
specus tractat  
Chrysoctomus.*

Hæc enim est substantiæ sinceræ nulli rei ad-  
mixtæ, & puræ, sicuti ipsa est. Subinde vero quid  
sit condescensus ille, his verbis exponit: *Cum deus  
non, ut est, se ostendit, sed quoad videre se potest, qui aspe-  
ctum huiusmodi meretur, ætenuis firmitate videntis suam  
representationem meretur, ac temperat, condescendere il-  
lum tamisper dicimus & huiusmodi, condescensus enim nomi-  
namus & indulgentiam.* In eundem modum de Prop-  
hetis ait, non vidisse Dei substantiam, sed conde-  
scensum illum, obsecutus tamen quam Angelos:  
ergo cum Angelos prophetis comparat, & Prop-  
hetæ Deum non viderint secundum essentiam,  
idem de Angelis in sententia Chrysoctomi dice-  
ndum est. Verba citata adeo manifesta mihi videntur,  
ut nullo modo ea expendere, & amplius exami-  
nare necesse sit.

*Chrysoct.*

Postremo, ut Angeli possent nobis aliquid de  
substantia Dei enarrare, necessarium non erat, no-  
titia comprehensivâ ipsum videri; sed satis erat, si  
clare, sicuti est, totam Dei substantiam viderent,  
sicut Beati omnes intuentur: si igitur Angeli beati  
Deum clare viderunt, sed non comprehendere-  
runt, male Chrysoctomus diceret, homil. illa 14. in  
Ioannem, *Si eos percontaberis, nihil ab eis de Dei substan-  
tia audies, sed tantum referentes, Gloria in excelsis Deo, &c.*  
Porro non minus clare id ipsum asseuerant Theo-  
phyllactus, & Euthymius in illud Ioan. 1. *Deum nemo vi-  
it vquam.*

*Theophyl.  
Euthym.*

Clarissime tamen Theodoretus in dialogo, *Immuta-  
bilis*, post folium 3. ubi Orthodoxus, & Eranistes  
sic loquentes introducuntur. ERANIST. *Quomodo  
ergo intelligamus, quod Angeli eorum semper vident fa-  
ciem patris vestri. ORTHODOXVS. sicut intelligere sole-  
mus ea, quæ desuntur de hominibus qui Deum videri existi-  
mari sunt. ERANIST. dic clarius: non enim intellexi.  
ORTHODOXVS. Numquid potest Deus videri ab ho-  
minibus? ERANIST. Nequaquam. Id vero probans  
ORTHODOXVS, postquam demonstra-  
uit, substantiam Dei non posse ab vilo homi-  
ne videri, subiungit: *Ita ergo de Angelis intelligamus,**

*Theodoret.  
idem claris-  
sime scripsit  
Theodoret.*

9

*audien-*

audientes quotidie, vident faciem vultus vestri, non enim vident substantiam diuinam, quae nec circumscripti, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quae vniuersa comprehendit, sed quandam gloriam, quae eorum viribus correspondeat, si quae eis commoderata. Haec Theodoret. Qui si veller, solum negare comprehensionem in sensum, in quo Scholastici loquuntur, non autem claram visionem; non diceret, essentiam Dei nec circumscripti, nec comprehendi, nec percipi posse, nec videri, nisi gloriam solum, quae viribus creatis correspondeat.

CAPVT IV.

Cum Chrysostomo, & praedictis alij etiam Latini, & Graeci sensisse videntur.

Latini Patres. Hieron. Iulian. Primasius. 1 ad Cor. 13. Ieron. 41.

10 Explicatur Iudaei uerba de comprehensione uisionis.

11 Spiritus uerba in hac Expositione.

12 Tertium quomodo uerba personae dicuntur ad spiritum.

13 Ambrosius. Augustinus. Epiphanius. Cyrillus Alex. Graeci Patres. Cyrillus. Marcellus.

CVm his Patribus facere videntur Hieron. in 1. c. 1. lae, in illa uerba, Audite uerbum Domini principes Sodomorum. Primasius in illud 1. ad Cor. 13. Cognosciam sicut & cognitus sum; & Isidorus in c. 41. Exodi, ubi de Moysse ita ait; Quid est faciem meam videre non poterit: nisi quia quamuis usque ad paritatem angelicam humana etiam post resurrectionem natura perseverat, & ad contemplandum Deum indefessa consurgat, videre tamen eius essentiam plene non prauallet, quam nec ipsa perfectio Angelica in toto, vel integre attingit scire; Respondere posset aliquis Theologus, quae uerba Patrum in sensum Scholasticorum uellet pertrahere, Isidorum intelligendum esse de comprehensione, ut illo loquuntur; non de clara uisione, quam omnes concedunt. Sed praeterquam quod uerba citata id minime indicant; solum enim dicit, Deum ab Angelis non videri in toto, vel integre, vel plene, quae sane significant, Deum sicuti est non cognosci; si enim hoc modo uideretur, integer, & totus, & plene cognosceretur; ea etiam quae mox subiungit, hanc interpretationem non patiuntur, ait enim; Sola enim sibi integre nota est Trinitas & humanitati suscepta, qua tertia est in Trinitate persona. Quod si de comprehensione, ut Scholastici loquerentur, Isidorus, ita soli Trinitati eam deberet seruari, ut nec humanitati Christi eam concederet, ut dicemus in 3. p. q. 10. a. 2. & sane si eam posset Deus humanitati assumptae tribuere, posset illi uellet cuiunque alteri non denegare.

Obiter quoque notandum est, personam uerbi ab Isidoro appellari tertiam in Trinitate, quia ipse non attendit ordinem originis, sic enim est secundum, sed numerum, in quo potest tertio loco filius numerari, cum hic ordo solum sit per intellectum idemque uidetur esse, ac si diceretur vna ex tribus. Nec minus clare id ipsum Ambrosius tradidit in 1. Luc. c. de apparitione Angeli explicans illud Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam. Hunc locum Ambrosij refert August. epist. 112. cap. 5. & nihil de illo dicit, cum tamen ipse aperte doceat, Deum à beatis videri.

Ex Graecis Patribus in eandem sententiam consensisse videntur Basiliius lib. 1. contra Eunomium post medium: Epiphanius haesi 70. Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioannem cap. 22. & Ierosolymitanus catechesi 6. sed clarius Nyssenus lib. de beatitudinibus, explicans illud, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matt. 5. Cum enim docuisset, Dei substantiam esse inuisibilem, nisi per effectus aliquos, & similitudines (agebat uero de praemio ipsius beatitudinis) adiungit, promissionem illam, Deum videbunt, ita esse intelligendam; ut videre Deum, idem sit, quod habere in 1. part. Tomus 1.

bebe Deum, iuxta illud Psalmi 127. Et uideas bona ierusalem. Hos Patres, si sincere loqui uelimus, vix possumus in bonum sensum interpretari, ut ex dictis manifestum est. Omnis enim eodem modo, quo Chrysostomus, loqui videntur. Oppositam tamen sententiam esse amplectendam, sequenti capite monstrabo.

CAPVT V.

Secundum fidem nostram, Deum, sicuti est, videri posse.

Oppositam sententiam non solum uerorem, sed etiam secundum fidem Catholicam necessario astruendam existimo: essentia nimirum Dei à Beatis clare videri, sicuti ipsa est. Nam tamen S. Thom. in hoc art. modeste dixerit opinionem priorem inconuenienter defendi, in q. tamen 8. de ueritate art. 1. eam haeticam appellauit, & artic. seq. erroneam: id quod uerissimum esse ex ijs, quae statim subiiciemus, perspicue apparebit.

Primo Euaristus in prima sua epist. ex illo 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est, discrete affirmat, Dei substantiam à Beatis videri. Idipsum Concilium Francofordiense in epist. ad Episcopos Hispaniae his uerbis asserit: Pradicemus eum (scilicet Christum) deum uerum, & uinum, & uere Filium Dei, ut ad eius beatissimam uisionem peruenire mereamur, in qua est aeterna ueritas, & beata aeternitas. Probauerat autem ante medium epistolae ex illo 1. Ioan. 3. uisionem hanc futuram esse Dei, sicuti est. Ad haec Eugenius 4. & Concilium Florentinum sess. ult. in literis uisionis, quae ab vniuersa Synodo uere fuere receptae, & subscriptae licet postea fraudibus cuiusdam ex Graecis Patriarchis Imperator Graecorum resiliit: inter alia definiunt, eos, qui suscepto baptismate, uel peracta poenitentia in gratia decesserint, in caelum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum Trinum, & unum, sicuti est. Denique Benedictus 11. in quadam extrauaganti, quam referunt Maior in 4. q. 11. & Supplementum Gabrielis in 4. d. 49. q. 2. art. 3. dub. 3. definit, animas defunctorum, qui in gratia decesserunt, ante diem iudicij ex uisione clara, & fruitione Dei uere esse beatas.

Secundo ex Patribus plures quoque, & magni nominis idem nobis tradiderunt, Dionysius de caelesti Hierarchia cap. 4. Martialis in epist. ad Tolosanos cap. 27. Origines 1. ueriarcho cap. 1. explanans illud Psal. 35. In lumine tuo uidebimus lumen, & Nazianz. orat. 25. in fine ubi sic ait: In hoc igitur commune nomen (scilicet dei) crede, & prospere in eade, & regna: atque hinc ad alterius uita be. iustitiam transibis: Ea porro ut mihi quidem uidetur in expressiore horum cognitione, ac comprehensione sita est. Apud Patres uero comprehensio pro clara dei uisione accipitur, ut disp. 52. dicemus, de qua contra Anomaeos disputabant: fufius tamen Irenaeus lib. 18. c. 5. 8. idem docet. Consentit August. epist. 112. de uidentio Deum cap. 4. & 8. quod enim in fine epistolae dubitat, an ab Angelis Deus nunc uideatur, non obstat: de omnibus enim beatis in Augustino dubium est, num ante diem iudicij Deum clare intueantur: non tamen dubitat, an aliquando Deum uidentio sit.

Accedunt Gregor Magnus lib. 18. Moral. cap. 28. ubi oppositae sententiae meminit, & hanc fufius ex Scriptura confirmat: Damasceus in historia Barlaam. c. 8. circa finem, ubi inquit maximam damnatorum poenam esse, facie Dei priuari; & primo de fide cap. 1. ubi

S. Thom.

Auctoritate Pontificum, & conciliorum probatur. Euaristus. 1 Ioan. 3. Conc. Francoford. Eugen. 4. Concil. Florentinum.

12

Benedict. 11. Maior.


Ex Patribus. Dionysius. Martialis. Origines. Nazianz.

13

Irenaeus. Augustinus.

Gregor.

Damasceus.



vbi ait, Deum nemini visum iri, nisi cui voluerit Filius reuelare: & quamvis asserat, Deum esse incomprehensibilem naturā: non tamen loquitur, vt existimauit Clichonæus, more Scholasticorū, qui putant comprehensionem non esse omnino idem cum clara visione: nec etiam secutus est Chrysof. sententiam, sed dixit, Deum esse naturā incomprehensibilem, hoc est, naturā suā clare videri à creatura non posse, nisi filius voluerit reuelare. Tandem Ioannes Cyparistotus decade 4. c. 5. hoc ipsum docuit. & Beda in illud 1. Ioan. 3. Quia videbimus eum, sicuti est; atque alij graues Ecclesiæ Patres, quos subinde commemorabimus.

Tertio ex Scriptura adeo clare hæc veritas comprobatur, vt mirum sit, grauissimos Patres oppositum vnquam docuisse. Primus locus est Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quem ita intelligit August. Epist. 112. c. 4. Hilarius Canone 4. in Matth. imo August. ex hoc loco, id esse de fide, videtur deducere; ait enim: Scimus, posse Deum videri, quoniam scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. &c. an forte dicere non debui, scimus, sed credimus, quia scriptum est in Scriptura, eum credimus: Et respondet statim, optime dictum esse, Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est; eo quod id tanquam certum credebatur.

Secundus locus est Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in caelis est. Vbi faciem, substantiam ipsius Dei, sicuti est, interpretantur, Hilarius canone 18. Et in illud Psal. 118. deprecatus sum faciem tuam August. passim in eadem epist. præsertim vero c. 4. Gregorius Magnus loco allegato, & Nicetas in orationem 4. Nazianz. in illa verba, posteaquam. Neque enim intelligi potest facies aliqua corpora, sub qua in similitudine, & specie hominis appareat Deus: sicut aliquando etiam visus est. Nam, quamuis, si de visu corporeo hominis loquamur, magis præcipua sit visio, qua facies alicuius figuræ, quam alia pars videtur, siquidem ea pars humana figuræ nobilissima est; Angeli tamen qui mentis oculo solum intuentur, & ea parte beatitudinem consequuntur, non videndo faciem potius, quam aliam partem corporalis figuræ, sed visione ipsius substantiæ beati esse possunt. Per faciem igitur optime citati Patres intelligunt substantiam Dei, quæ metaphoricè dicitur facies: quia sicut tunc læti sumus, cum amici, aut principis vultum, in quo lætitia respicendat, videmus: sic etiam tunc beati sumus, cum substantiam ipsius Dei, sicuti est, clare intuemur. Ergo minus bene Patres Græci superius commemorati, per faciem intelligunt condescensum illum, seu lumen à Christo Deo deriuatum, cui Deus continua sua præsentia semper adest.

Neque obstat id, quod dicitur 1. Petri 2. In quem desiderant Angeli prospicere. Primum quia, vt optime Gregorius Magnus loco allegato, & Beda Tom. 8. lib. quæst. 9. interpretantur desiderium illud non est cum anxietudine, neque rei absentiam significat, in quam solum dicitur cōmunitè ferri desiderium; sed, vt ostendat Petrus, beatos frui societate quadam sine fastidio iuxta illud Psal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua, ideo dixit, perpetuo eos teneri desiderio, intuenti faciem Dei: qui enim desiderat aliquid, id non fastidit.

Quem sensum secutus est Isidorus lib. sententiarum sent. 22. Deinde si non legeremus, in quem, in qua desiderans Angeli prospicere, ijs quæ diximus, ni-

hil obesse posset. Sic autem legunt omnes Græci Patres, & aliqui etiam codices vulgati. Tunc vero sensus texeretur in hunc modum. Dixerat Petrus prius de qua salute exquisierunt, & scrutati sunt Prophetæ. &c. subiungit deinde, quibus reuelatum est, quia non sibi met ipsi, nobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt nobis, Spiritu Sancto misso de celo, in qua desiderant Angeli prospicere, hoc est, quæ mysteria desiderat Angeli prospicere, aut magno desiderio anhelant, vt intelligant mysteria hæc redemptionis nostræ, & compleri videant ea, quæ à Prophetis prænunciata sunt, iuxta illud ad Ephes. 3. vt innotescat principibus Ecclesiæ, &c. quia decursu temporis Angelis reuelabantur mysteria, prout opere complebantur: iam vero textus vulgatus emendatus à Sixto V. legit, in quem.

Quod si Angeli substantiam Dei vident, nos etiam videbimus, cum ipsis æquales facti fuerimus, vt optime infert August. epist. illa 112. cap. 8. in fine, iuxta illud Matth. 22. Erunt sicut Angeli Dei, tamen ille locus Matth. non intelligatur de æqualitate visionis, quia scilicet homines Deum videbunt, sicut etiam Angeli vident, sed de incorruptione vitæ, quæ nec matrimonio indiget, neque corruptioni obnoxia est. Sadduæi enim stulte obiecerant de muliere, quæ septem viros habuit, cuius nam futura esset in resurrectione, vt ita resurrectionem impugnant; respondit autem Dominus tunc homines futuros sicut Angelos Dei (scilicet incorruptibiles) & ita fore, vt non indigeant matrimonio: quod multo clarius dixit Lucas 20. cap. his verbis: Neque nubunt, neque ducunt vxores. neque vltra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt. Hinc vero recte sequitur, si homines futuri sunt immortales, sicut Angeli: eodem modo ipsis visionem clarā Dei concedendam esse.

Tertius locus est 1. ad Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Dicit, sicut & cognitus sum, vt explicat Theodor. hoc est, sicut notus, & familiaris, qui vultum amici clare intuetur. Hieronymus, perfecte sicut à Deo cognitus sum: Chrysof. & Theophyl. ita ei occurram visione, sicut ipse me præuenit, cum prius me cognouit. Alij, cognitus sum, pro edoctus sum, positum putant. Quod si in alia vita Dei essentia per se non appareret, sed in aliqua luce ab ipsa deriuata, absque dubio in ænigmate adhuc, & sub obscuro velamine, non facie ad faciem videretur: nec cognosceremus, sicut cogniti, & familiares, sed ex parte tantum, licet perfectiori modo, quam in via. Enigma enim teste August. 15. de Trinitate, c. 9. est similitudo quædam obscura ad intelligendum, cum per vnā rem aliam significare volumus. Cum ergo quæuis lux, aut creatura à Deo deriuata, sit magis diuersa res ab ipso Deo, quam vna creatura ab alia, efficitur, multo magis illam ænigma esse Dei, quam vna creatura alterius esse potest.

Quartus locus est 1. Ioan. 3. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est: ibi enim sermonem esse de Deitate, non de humanitate Christi, patet primo ex contextu: nam paulo ante de Patre, hoc est, de Deo locutus fuerat, Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus: & de eodem prosequitur, cum dicit: Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus, scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, id est, Deo. Quoniam videbimus eum, sicuti est: eum inquam,

Clichon.

Cyparistotus.

14. Ex scriptura. Matt. 5. August. Hilarius.

Matth. 18.

Hilarius. Psal. 118. August. Gregorius. Nicetas.

15

1. Petri 2. Gregorius. Beda.

Psal. 16.

Explicatur præclare locus Petri. Isidorus.

16 Ad Ephes. 3.

August. Matth. 22.

17 1. ad Cor. 13.

Theodor.

Hieronymus. Chrysof. Theophyl.

Augustinus

1. Ioan. 3.

quam, Qui dedit nobis, ut filij Dei sumus: cum vero postea subiungit: Et scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleretur, loquitur etiam de Deo, qui in carne apparere dignatus est.

18  
Crisp. Fran-  
cof.  
Euaristius.  
Auguſt.

Secundo Concil. Francford. in epist. ad Episcopos Hispania, Euaristius in 1. epist. & August. epist. 112. cap. 7. tractantes hunc locum, docent de visione spirituali, non corporali esse intelligendum: sicut etiam similes Deo sumus futuri non corpore, sed spiritu. Ideo enim ait futuros nos similes, quia videbimus sicuti est. Ideo vero similes erimus, quia non tantum futuri sumus filij, (nunc enim etiam sumus) sed abique peccato, sicut ille est: ideo nondum apparuit, quid erimus, quia licet iam sumus filij, sumus tamen cum aliquo peccato. De qua similitudine optime Irenaeus dixit loco allegato: Si, quae est per conditionem, ostensio Dei, vitam praestat hominibus in terra viventibus: multo magis ea, quae est per Verbum manifestatio Patris, vitam praestat ijs, qui vident Deum.

Irenaeus

Armenian.

Matth. 24.

Auguſt.

Tertio non loqui Ioannem de visione humanitatis Christi, sed Deitatis ostendit Armenianus lib. 14. q. Armenorum, c. 3. hac ratione, quam ex Fulgentio in libr. responsionum ad Ferrandum diaconum, responsione 3. post medium desumpserit videtur, quia etiam mali visuri sunt Christi humanitatem, Videbunt filium hominis, & tamen peccatores non erunt ei similes, imo neque iusti ex eo solum, quod humanitatem videbunt, sed ex visione Deitatis: ergo promittitur (ut ait August. in illa epist. c. 10.) visio spiritualis, qua videbunt iusti, vnum esse Christum cum Patre in diuinitate.

Ratione vero confirmatur haec sententia: primum, quia, vt in dubitatione circa textum diximus, ex appetitu naturali, quo desideramus videre Deum, sicuti est, optime probatur, desiderium illud compleri posse. Si enim esset impossibile, non esse naturale desiderium: si ergo concedamus esse naturalem appetitum videndi Deum, sicuti est, sciendi, aut videndi causam; recte sequitur esse possibile videre Deum: esse vero naturalem appetitum constat, quia non potest, vt malum, à nobis apprehendi visio Dei, sicut nec visio cuiusque causae, quam videre desideramus: ergo naturaliter desideramus Deum videre. Deinde possibile esse visionem Dei satis colligitur ex ijs, quae c. sequenti dicimus in solutione oppositae rationis, qua ostenditur non implicare contradictionem, vt Deus ab intellectu creato videatur.

CAP. VI.

Soluuntur argumenta pro sententia Armenorum.

19  
Irenaeus.  
Crispianus.  
Irenaeus.  
Armenianus.  
Euaristius.  
Auguſt.

Pro sententia Armenorum, & Chrysostomi, primum videtur esse illud Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit. Nam Irenaeus loco citato, Athanasius lib. 3. & 4. de vita Deitate Trinitatis, & Euaristius illa epistola. legunt addita particula, Nisi, nempe, Nisi vnigenitus, qui est in sinu Patris, &c. Augustinus vero in eundem sensum tract. 3. in Ioan. pro particula, Nisi, addidit, Sed, quam licet contextus postulare videbatur. Si ergo nullus Deum vidit vnquam, vt enarrare nobis posset, sed solus Filius enarrauit, sequitur neque ab Angelis, Deum fuisse visum, (ipsi namque possent nobis enarrare) sed à solo Filio.

Irenaeus se-  
latus.

20

Vt hanc difficultatem diluat Iansenius cap. 15. Concordiae Euangelicae, asserit, cum dicitur, Deum nemo vidit vnquam, hoc est, nullus; non solum hominem, verum etiam Angelum intelligi. Ioannem

tamen loqui, non de visione solum clara Dei, sicuti est; sed de ea etiam, quam Theologi comprehensionem appellant, qua solus Deus seipsum comprehendit.

Ceterum, quamvis verum sit, hac scientia, & visione solum Deum seipsum videre; tamen Ioannes non solum de hac scientia, sed de quacumque etiam clara ipsius Dei, sicuti est, debet intelligi. Vt enim aliquis nobis enarrare posset Dei mysteria, quae nunquam vidimus, satis erat, si ipse clare Deum vidisset, sicuti est, & consilium eius ipsi fuisset manifestum.

Respondeo ergo Ioannem de homine solum intellexisse, cum dixit, Deum nemo vidit vnquam. Ac si diceret, nullus homo. Sic explicat Auguſt. epist. illa 111. cap. 4. Qui vero de Angelis etiam interpretantur, vt Chrysostomus, Ambrosius, & alij, dicunt quod roque, nec ab hominibus nec ab Angelis essentiam Dei vnquam videri, sicuti est, vt cap. 1. huius disput. retulimus. Iuxta interpretationem igitur Augustini idem dixit Ioannes cap. 1. Deinde cap. 6. sic ait: Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem: hoc est, ego, qui à Patre natus sum: ac si dicat, qui audiuit à Patre, est ille, qui venit ad me, non quia ab ipso Patre quisquam hominum audierit, quia sicut nullus vidit ipsum, nisi ego; ita nullus ab ipso aure corporis audiuit, sed ille audit à Patre, qui per me audit, quia ego vidi Patrem, & noui eum. Consonat illud: Quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Ergo cum Ioannes 1. cap. dixisset, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, subiungit, Deum nemo vidit vnquam. Quasi dicat, nec Moyses qui legem dedit, nec alius homo in hac vita mortalis; sed hic solum, qui est vnigenitus, per quem gratia, & veritas facta est, narrauit, quae vidit. Hoc autem dixit Ioannes, vt Moysi & Prophetis Christum praefereat, aut vt demonstraret ea, quae de Deo narrauerat, dicens: In principio erat verbum, &c. non à se dixisse, nec didicisse ab aliquo homine, quia Deum nullus viderat, qui ea narrare posset, sed ab vnigenito Filio Dei accepisse, de cuius gloria dixerat, Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.

Auctoris so-  
lutio.  
Auguſt.

Chrysost.  
Ambros.  
Ioannes de  
hominibus  
cautum Io-  
annem.

21  
Irenaeus.

Athanasius igitur Ioannes, Deum à nullo vnquam hominum visum fuisse, non solum ante Christi aduentum, sed neque post, non modo propria virtute, sed neque diuina. Intelligit autem in hac vita mortali, de ijs inquam, cum quibus vitam ducimus: atque eorum quotidiana vitam consuetudine, & à quibus edoceri possumus, idque vnico Deo, quod omnium futurus esset Doctor, & redemptor, in hac vita mortali solum concessum esse. Ipse ergo quae vidit, enarrauit nobis.

Deinde adduci potest pro sententia Chrysost. illud: Non me videbit homo, & viuere. De hoc tamen commodius dicemus infra disput. 55.

Exodi 33.

Pro eadem sententia videtur esse ratio. Quia non minus essentia Dei excedit capacitatem nostri intellectus, quam res spiritualis virtutem facultatis videntis: diuina enim essentia comparatur nostro intellectui sicut infinitum finito; substantia vero Angeli oculo corporeo, sicut finitum finito: sed perfici non potest oculus corporeus aliquo spirituali dono, vt videat Angeli substantiam: ergo multo minus intellectus creatus, vt videat Deum. Respondeo, tamen si Angeli substantia, & facultas videndi finita sint, Dei vero essen-

Secundo ra-  
tione argu-  
mentantur.  
22

Solutio.

tia infinita, intellectus autem creatus finitus; minus tamen conveniunt, minorque proportionem inter se habent Angeli substantia, & facultas videndi, quam Deus, & intellectus creatus: horum namque proportio non debet esse mathematica secundum mensuram perfectionis: sic enim magis excedit Deus intellectum creatum, quam Angeli substantia oculum corporeum; sed secundum rationem obiecti, & potentia: sic autem debitam habet proportionem Deus cum quovis intellectu: substantia vero Angeli nullam omnino servat cum oculo corporeo: quare magis ab eo distat, quam essentia Dei ab intellectu creato. Nam substantia Dei continetur sub adequata ratione intellectus, quæ est ens secundum totam suam analogiam latitudinem, quem saltem obscure in via absque dono etiam supernaturali cognoscere possumus, & aliquo modo intelligere: substantia vero Angeli sub obiecto facultatis videntis, aut sentientis non continetur, ac proinde nullo modo propria virtute eam videre potest.

*Substantia Dei continetur sub adequata ratione intellectus, non tamen res spiritualis sub obiecto sensus*

23

Hinc fit, ut intellectus aliquo dono supernaturali præditus, quale est lumen gloriae, quod habet rationem speciei intelligibilis ipsius Dei, ut disput. 43. cap. 5. patebit, perfici possit, ut perfecte Deum sicuti est, intueatur, quem non potest naturalibus alijs speciebus videre: ipse enim capax est cuiuscumque doni intra genus intelligibilis: at vero nulla facultas sentiendi aliquo dono instrui potest ut substantiam Angeli videre, aut sentire valeat, quod illa sub ratione obiecti sensibilis minime contineatur: sicut etiam aliqua ratione fieri nequit, ut visus percipiat sonum, vel auditus colorem: bene tamen videtur fieri posse, ut oculus ad videndum colorem indivisibilem sine quantitate, aliquo dono Dei, moveatur, eo quod color ratione sua est intra latitudinem obiecti visus, de quo in 3. part. 2. Thoma q. 76. a. 7. fufius dicemus. Hanc totam doctrinam non obscure nobis indicavit S. Doctor 3. contra gentes, cap. 54. circa primam rationem, de qua iterum redibit sermo disp. 40. cap. 2. & disp. 43. cap. 6.

S. Thomas.

ARTICVLVS II.

*Vtrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur.*

56  
4. d. 49. q. 2.  
art. 1. Et veritas q. 8. a. 1.  
Et quo 7. a. 1.  
Et 3. contra gentes, cap. 49. Et opus 3. cap. 105.  
Libro 9. de Trin. c. 11.  
circa med. tom. 3.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur. Dicitur enim 1. Ioan. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.*  
2. Præterea, August. dicit 9. de Trin. Cum Deum nouimus, fit aliqua Dei similitudo in nobis.  
3. Præterea, Intellectus in actu est intelligibile in actu, sicut sensus in actu est sensibile in actu. Hoc autem non est, nisi in quantum informatur sensus similitudine rei sensibilis, & intellectus similitudine rei intellectæ. Ergo si Deus ab intellectu creato videtur in actu, oportet quod per aliquam similitudinem videatur.

15. de Trin. c. 9. parum a medio, to 3.

Sed contra est, quod dicit Augustinus 15. de Trinitate, quod cum Apostolus di-

*cit, Videmus nunc per speculum, & in anigmate, Speculi, & anigmatis nomine quæcumque similitudines ab ipso significatae intelligi possunt, quæ accommodata sunt ad intelligendum Deum. Sed videre Deum per essentiam non est visio ænigmatica, vel specularis, sed contra eam diuiditur. Ergo diuina essentia non videtur per similitudines.*

Respondeo dicendum, quod ad visionem tam sensibilem, quam intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva, & vnio rei visæ cum visu. Non enim fit visio in actu, nisi per hoc quod res visa quodammodo est in vidente. Et in rebus quidem corporalibus apparet, quod res visa non potest esse in vidente per suam essentiam, sed solum per suam similitudinem. Sicut similitudo lapidis est in oculo, per quam fit visio in actu, non autem ipsa substantia lapidis. Si autem esset vna, & eadem res, quæ esset principium visivæ virtutis, & quæ esset res visa, oporteret videntem ab illa re, & virtutem visivam habere, & formam per quam videret. Manifestum est autem, quod Deus, & est auctor intellectivæ virtutis, & ab intellectu videri potest. Et cum ipsa intellectiva virtus creaturæ non sit Dei essentia, relinquitur quod sit aliqua participativa similitudo ipsius, qui est primus intellectus. Vnde & virtutis intellectualis creaturæ lumen quoddam intelligibile dicitur quasi à prima luce derivatum: siue hoc intelligatur de virtute naturali, siue de aliqua perfectione superaddita gratiæ, vel gloriæ. Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte visivæ potentia, qua scilicet intellectus fit efficax ad videndum Deum. Sed ex parte visæ rei, quam necesse est aliquo modo vniri videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest. Primo quidem, quia sicut dicit Dionysius cap. 1. de diuin. nom per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora possunt cognosci. Sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ. Multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri. Secundo, quia essentia Dei est ipsum esse eius, ut supra ostensum est: quod nulli formæ creatæ competere potest. Non potest igitur aliqua forma creatæ esse similitudo representans videnti Dei essentiam. Tertio, quia diuina essentia est aliquod incircumscriptum continens in se supereminenter quicquid potest significari, vel intelligi ab intellectu creato. Et hoc nullo modo per aliquam speciem

*Contra non multum procul à principio.*

*q. 3. art. 4.*

speciem creatam representari potest: quia omnis forma creata est determinata secundum aliquam rationem, vel sapientie, vel virtutis, vel ipsius esse, vel alicuius huiusmodi. Unde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere diuinam essentiam non videri, quod est erroneum. Dicendum ergo, quod ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visiva potentie, scilicet lumen diuine glorie confortans intellectum ad videndum Deum. De quo dicitur in Psalmo: *In lumine tuo videbimus lumen*. Non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest, quia ipsam diuinam essentiam representat, ut in se est.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa loquitur de similitudine, quae est per participationem luminis glorie.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus ibi loquitur de cognitione Dei, quae habetur in via.

Ad tertium dicendum, quod diuina essentia est ipsum esse. Unde sicut aliae formae intelligibiles, quae non sunt suum esse, vniuntur intellectui secundum aliquod esse quo informant ipsum intellectum: & faciunt ipsum in actu, ita diuina essentia vniuntur intellectui creato, ut intellectum in actu, per se ipsam faciens intellectum in actu.

Conclusio articuli est: *ad videndam Dei essentiam requiritur aliqua Dei similitudo ex parte potentie, scilicet lumen glorie, per similitudinem tamen creatam, quae ipsam representat, videri non potest, ut in se est*. Aliqua erant obseruatione digna, quae in expositionem articuli, & mentis S. Thomae afferri possent; eius enim interpretes, & discipuli variant, commodius tamen disputat, quid ipse sentierit declarabimus.

## DISPVTATIO XXXVIII.

An potentia Dei absoluta dari possit species intelligibilis Dei, qua ipse clare videri queat?

*De opposita sententia, cap. 1.*

*Sententia, quae affirmat dari posse speciem essentiae diuinae, a simili ex productione verbi probatur, cap. 2.*

*Impugnatur differentia, quae inter speciem impressam, & verbum aliqui constituunt, cap. 3.*

*Posse produci speciem diuinae essentiae ex solutione oppositarum ratione ostenditur, cap. 4.*

## CAPVT I.

*De opposita sententia.*

**Q**uestio praesens in opinione eorum tantum locum habet, qui allerunt visionem beatificam non a solo Deo produci, sicut Richardus, & Nominales docuerunt, contra quos in 1. 2. q. 3. a. 2. differemus, sed etiam ab intellectu creato. Est autem intelligenda de specie, & similitudine intelligibili, quae circa alia obiecta, ut principium intellectus assignari solet, ut ratio, ac principium vi-

dendi obiectum, ita ut ipsa non videatur, quae species impressa ab Scholasticis appellatur. Questio autem non est de verbo ipso, quod species expressa dici solet, quamquam de hoc etiam non nihil dicemus.

De specie igitur impressa duae sunt oppositae opiniones. Prior est, speciem impressam essentiae Dei non posse a Deo produci: eam tradiderunt Henricus quod 1. 3. q. 1. & quod 1. 4. q. 7. & in Summa art. 33. q. 2. Aegidius in Castigatorio art. 1. & in opusculo de diuina influenza in Beatos, c. 1. Caiet. & recentiores Theologi in hunc art. Durandus in 4. d. 49. q. 2. m. 1. 3. & seqq. Aegidius, qui non tantum species intelligibiles aliarum rerum in vniuersum negat, sed etiam peculiari ratione affirmat, essentiae diuinae speciem non posse produci. Idem Capreolus eadem d. q. 5. art. 1. Scotus q. 2. Capreolus art. 3. Ferrariensis 3. contra gent. c. 49. §. Aduerte quod fundamentum. Adde Marsilium in 3. q. 10. art. 2. 1. p. art. in dubio incident. concl. 1. in qua licet de facto solum afferat, non dari speciem essentiae diuinae ad claram ipsius visionem; in secunda tamen ratione sentire videtur, eam etiam produci non posse. Faciunt denique cum his Thom. de Argent. in 4. d. illa 49. q. 2. art. 2. & palud. q. 1. art. 2. concl. 3. qui tamen non disputant, utrum a Deo talis species effici possit, an non; affirmant tamen de facto eam non dari. Demum refertur pro hac sententia S. Th. quid tamen ipse sentierit, disputat, seq. videbimus. Rationes vero huius sententiae cap. 1. sigillatim referendae, & examinandae sunt.

Posterior sententia nunc in Scholis satis communis aserit, nihil obesse, quo minus Deus potentia sua producere possit talem speciem, & intellectui humano, vel Angelico eam infunderet, qua instructus possit ipsum Deum clare intueri, sicuti est. An vero nunc Beatus Deus eam tribuat, disputat, cap. 7. dicemus. Hanc opinionem securus est Aureolus, ut est apud Capreolum q. cit. art. 2. atque inter alias eam putat probabilem Richardus in 3. d. 14. art. 1. q. 3. Ex quatuor enim, quas recenset, duas solum ipse defendit; alteram, quae alletit, de facto per speciem Deum videri elicita visione a potentia; & specie: alteram, quae affirmat, effici a solo Deo visionem, lumen vero glorie solum ad visionem in intellectu recipendam donari. Fauet etiam Alexander in 2. p. q. 24. memb. 1. qui eodem modo loquitur, quo S. Thomas, & quamuis ex parte obiecti visi, scilicet Dei, dicat, non dari speciem ad ipsam videndum; ex parte tamen intellectus, & potentiae ait, requiri assimilationem. Denique Scotus in 4. d. 49. q. 11. ante solutionem argumentorum, cum promississet se de ea alibi tractaturum (quem locum ego inuenire non potui) tamen in §. Respondeo igitur, post medium, affirmat rationes, quibus probari solet, non dari speciem diuinae essentiae; nihil probare: intelligit vero non solum de possibili, sed etiam de facto. Cum vero in 2. d. 3. q. 9. docet, dari speciem quidditativam Dei, non ad visionem claram, quam intuitiuam vocant, sed ad quidditativam, solum abstractiuam, eam concedit.

## CAPVT II.

*Sententia, quae affirmat, dari posse speciem essentiae diuinae, a simili ex productione verbi, probatur.*

**M**ihi sane haec posterior opinio multo verior semper visa est, atque tunc demum multo probabiliorem iudicaui, cum S. Thomae minime aduersari manifeste comperi; ea vero bifariam mihi

*Speciem intelligibilem Dei non posse a Deo produci, affirmat prima sententia, Henricus, Aegidius, Caietanus, Durandus.*

*Capreolus, Scotus, Ferrariensis, Marsil.*

*Argentina, Palud.*

*S. Thomas.*

*Secunda affirmat esse possibilem.*

*Aureol.*

*Richardus.*

*Alexand.*

*Scotus.*

*3*